



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

18 Vtrum homo possit peccare nimis ieiunando, vel vigilando.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)



¶ Secundo, Circa abstinentiam, vtrum aliquis peccare possit nimis ieiunando, uel uigilando.

ARTICVLVS XVII.

*Vtrum ille qui pecuniam accepit mutuo, ut redimeret se latronibus, teneatur eam restituere.*

**A**D PRIMVM sic pcedebatur. Videtur quod ille qui pecuniam accepit mutuo, ut redimeret se latronibus, non teneatur eam restituere, quia ut Aug. dicit. Tēpore necessitatis oīa sunt cōmunia: sed nullus debet quasi propriū petere id quod est cōmune, ut Ambr. dicit, & habet in decretis dist. 4. Cum ergo ille qui in latrones incidit, fuerit in maxima necessitate constitutus, utpote in periculo mortis existens, videtur quod factum sit sibi commune aliquid quod erat alterius, & ita non teneatur ei restituere, qui mutuauit, ac si esset proprium eius.

¶ 2. Prat. Nullus teneatur facere recompensationem alicui pro eo quod ille facere tenebatur: sed ille qui mutuauit pecuniam tenebatur proximum suum a mortis periculo liberare, secundum illud Prou. 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem, ergo videtur quod ille qui est liberatus, non teneatur ei restituere pecuniam mutuam.

**S**ED CONTRA est, quod Dominus Matth. 7. dicit. Omnia quae uultis ut faciant uobis homines, & vos facite illis. sed ille qui liberatus est a latronibus, uel sibi restitui, si quid mutuaasset, ergo etiam ipse debet restituere quod mutuo accepit.

**R**ESPON. Dicendum, quod iustitiae actus est unicuique reddere quod sibi debetur. Unde cum ratione contraus bonae fidei, qui sunt inter mutuantem & mutuo accipientem, restitutio debeatur ex iustitiae precepto, tenetur ille qui mutuo accepit pecuniam, eam reddere creditori, & tanto magis, quanto in maiori necessitate creditor sibi subuenit.

**A**D PRIMVM ergo dicendum, quod tunc in necessitate sunt omnia communia, cum homo non potest sibi de suo subuenire: ridiculum enim esset, si quis famem patiens nollet accipere panem quem haberet in arca, & diceret se accipere panem alienum quasi communem: quae autem per amicos possumus, per nos aliquatenus possumus, ut dicit Philo. in 3. ethico. Iste autem qui in latrones incidit, potest se per amicos liberare mutuum accipiendo, & ideo non sunt ei omnia communia.

**A**D SECVDVM dicendum, quod unusquisque tenetur ad liberandam proximam a morte secundum suam conditionem & modum, & hoc quidem conuenienter impleuit ille qui pecuniam mutuauit, non autem tenebatur eam donare in casu quo ille poterat per mutuum liberari.

ARTICVLVS XVIII.

*Vtrum homo possit peccare nimis ieiunando, uel uigilando.*

**C**IRCA secundum sic proceditur. Videtur quod homo non possit peccare nimis ieiunando, uel uigilando. Deus enim non potest nimis ab homine diligi: sed probatio dilectionis est exhibitio operis, ut Greg. dicit in homel. quadam. ergo videtur quod non possit aliquis peccare nimis ieiunando, uel uigilando propter Deum.

**S**ED CONTRA est, quod Bernar. confitetur se peccasse de hoc quod nimis corpus suum ieiunando &

**A** uigilando debilitauit.

**R**ESPON. Dicendum, quod secundum Philo. in 1. Polit. Aliter est iudicandum de fine, aliter de his quae sunt ad finem. Illud enim quod quaeritur tanquam finis, absque mensura quaerendum est. In his autem quae sunt ad finem, est adhibenda mensura secundum proportionem ad finem, sicut medicus sanitatem quae est finis eius, facit quantumcumque potest maiorem, seu adhibet medicinam, secundum quod conuenit ad sanitatem faciendam. Est ergo considerandum, quod in spiritali uita dilectio Dei est sicut finis. Ieiunia autem & uigiliae, & alia exercitia corporalia non quaeruntur tanquam finis: quia sicut dicitur ad Rom. 14. non est regnum Dei esca & potus, sed adhibentur tanquam necessaria ad finem. i. ad demandas concupiscentias carnis, secundum illud Apost. 1. ad Corint. 9. Castigo corpus meum, & in seruitute redigo &c. & ideo huiusmodi sunt adhibenda cum quadam mensura rationis, ut scilicet concupiscentia deuitetur, & natura non extinguatur, secundum illud ad Rom. 12. Exhibeatis corpora uestra hostiam uiuentem: & postea subdit. Rationabile obsequium uestrum. Si uero aliquis in tantum uirtutem naturae debilitet per ieiunia, & uigiliae, & alia huiusmodi, quod non sufficiat debita opera exequi, puta, praedicator praedicare, doctor docere, cantor cantare, & sic de alijs, absque dubio peccat: sicut etiam peccaret uir qui nimia abstinentia se impotentem redderet ad debitum uxori reddendum. Unde Hiero. dicit, de rapina holocaustum offerret, qui uel ciborum nimia egestate, uel somni penuria immoderate corpus affligit: & iterum rationalis hominis dignitatem amittit, qui ieiunium charitati, uigiliae sensus integritati praefert.

**B** Et per hoc patet responsio ad obiectionem.

QUESTIO X.

**D**E I N D E circa praecipua quaesita sunt duo.

¶ Primo, Vtrum praecipua ordine naturae praecedant consilia.

¶ Secundo, Vtrum praecipua quae sunt contra praecipua secundae tabulae, sint grauiora peccatis quae sunt contra praecipua primae tabulae.

ARTICVLVS XIX.

*Vtrum praecipua ordine naturae praecedant consilia.*

**C**IRCA primum sic proceditur. Vt quod praecipua ordine naturae praecedant consilia. Illud enim est prius ordine naturae, ad quod natura primo instigat, sed praecipua sunt de primo instinctu naturae, quae sunt de dictamine rationis naturalis, non autem consilia, ergo praecipua sunt priora ordine naturae quam consilia.

**S**ED CONTRA est, quia prius natura dicitur aliquid esse tripliciter. Uno modo, sicut imperfectum est prius perfecto, & hoc modo praecipua non sunt priora consilijs, quia in praecipuis charitatis praecipue consistit perfectio. Secundo, per modum causae tempore praecedentis effectum, & sic etiam non sunt priora, quia non est necessarium quod aliquis prius impleat praecipua quam consilia. Tertio, per modum originis, quoniam principium est simul tempore, sicut lux solis & radius: sed nec hoc modo praecipua sunt priora, quia non est necessarium quod quicumque seruat praecipua, seruet consilia, ergo nullo modo praecipua ordine naturae praecedunt consilia.

**R**ESPON. Dicendum, quod circa hoc necesse est duo considerare. Primo, quid sit esse prius ordine naturae. Quae resp. S. Tho. E 4 turs.

114. 88. art. 1. ad 7. & q. 1. art. 1. ad 1.